

Zeitschrift: Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum
Herausgeber: Litteris Conradi Orellii et Soc.
Band: - (1746)
Heft: 3

Artikel: I. Iacobi Breitingeri oratio, qua adiit literaturae Graecae professionem publicam
Autor: Breitinger, J. Jacob
DOI: <https://doi.org/10.5169/seals-394584>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften auf E-Periodica. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen sowie auf Social Media-Kanälen oder Webseiten ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. [Mehr erfahren](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. La reproduction d'images dans des publications imprimées ou en ligne ainsi que sur des canaux de médias sociaux ou des sites web n'est autorisée qu'avec l'accord préalable des détenteurs des droits. [En savoir plus](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. Publishing images in print and online publications, as well as on social media channels or websites, is only permitted with the prior consent of the rights holders. [Find out more](#)

Download PDF: 27.04.2026

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

J. JACOBI BREITINGERI

Oratio, qua adiit Literaturæ Græcæ
Professionem publicam.

SOlemnis isthæc Feria, qua Protomartyrum, sive verorum, sive fictorum, S. Felicis & S. Regulæ memoria, Ecclesiæ Tigurinæ facta, annua celebritate agitur, alium ex Sacro Ordine Oratorem & singularis divinæ adversum nos Clementiæ præconem postulabat, qui ingens illud beneficium, quo salutiferæ Veritatis Lux, dissipatis paulisper plus quam cimeriis Paganismi tenebris, primum has oras nostras collustravit, atque deinceps etiam mirum in modum invaluit & ad nostra usque tempora propagata fuit, dignis laudibus celebraret, pariterque quibus modis ac rationibus cœleste hoc munus deinceps etiam tueri ac illustrare amplius possimus, edoceret. Postquam autem proxime superiore Julio mense Vir prolixa eruditione ac longo rerum usu spectatissimus J. HENRICUS HIRZELIUS, Græcæ Literaturæ Professor publicus, non subita quidem, sed lenta, at improvisa tamen adhuc morte e vivis excessisset; atque ego auspice Deo T. O. M. & singulari Magnificentissimorum, Amplissimorum utriusque Ordinis Virorum, quibus Scholæ nostræ cura commissa est, incredibili studio ac beneficio in præclarissimorum munerum hæreditatem successeram, & in eorum Virorum Ordinem fueram adscriptus, qui has publice dicendi

cendi partes per vices administrare solent : Univerſo huic Ordini ſacro opportunum viſum eſt , ut ego novus homo , nova dignitate auctus atque ornatus has dicendi vices occuparem & novam Græcas Literas publice docendi provinciam ſolenni ritu capeſſerem : idque quum jubere poſſet ; his fere rationibus benivole perſuaſit Venerabilis Sacrorum Antiſtes , quod nihil agerem præter conſuetudinem uſu receptam ac confirmatam , nihil quod cum ſacræ hujus Feriæ celebritate minus congrueret , quandoquidem ipſa hæc Doctorum publicorum ſive in Eccleſia , ſive in Schola , perpetua Succeſſio illuſtre documentum ſit , Deum adhuc ſingularem noſtri curam gerere & cœleſtis Veritatis doctrinam , cujus firmiſſimum ſemper præſidium Linguarum cognitio fuit , ſartam tectamque cupere. Itaque duo nunc concurrunt ingentia beneficia , propter quæ feſta hæc Lux ſolito auguſtior mihi & Religionis plenior eſſe videtur : quorum alterum mihi cum ceteris omnibus , qui quidem Chriſtianæ Religionis eximiam dignitatem ac præſtantiam eo quo decet loco habent , commune eſt : Alterum vero , quanquam totum priori illuſtrando ac confirmando inſerviat , ita mihi peculiare ac proprium eſt , ut me felicitate quadam ſingulari a ceteris ſecretum Summorum Virorum Societati adjungat , & ampliſſimam bene merendi facultatem ſuppeditet. Ceterum iſthoc mihi a Vobis P. C. beneficium obtiſſe non ſine mente reor , non ſine Numine Divûm ; adeo luculenta in eo apparent divinæ Providentiæ documenta , ut non poſſim non hanc meam felicitatem ad Deum tanquam primum auctorem in ſolidum referre , qua tamen con-

fessione nihil gratiæ vestræ decedit quicquam :
 Etenim quis sine Numine evenisse sibi poterit
 persuadere, quod ipsa hæc mihi fuerit data Lite-
 ras Græcas docendi provincia, ad quas discen-
 das & excolendas animum semper fecit, stimu-
 losque addidit Vir in summo Dignitatis, quam
 in Rep. nostra merito suo obtinet, culmine con-
 stitutus; sed proprio ingenio & harum Literarum
 laude, qua raro exemplo eminent, prope nobi-
 lior ac illustrior, quique idem nobis jam eo tem-
 pore, quum ne levissima quidem adhuc præsen-
 tis nostræ lætitiæ specula appareret, auctor ex-
 titit, ut in curanda ac recensenda nova sacræ
 τῶν LXX Versionis editione fidem meam probarem
 & diligentiae aliquod specimen, quod cum græ-
 carum Literarum commendatione esset conjunc-
 tum, publice exhiberem: Adeo ut idem fere stu-
 diorum, qui nunc secundum Deum fortunarum
 mearum auctor mihi obtigerit; cui proinde etiam
 quicquid in hoc genere a me præstitum adhuc,
 aut præstabitur unquam cum aliquo fructu, ac-
 ceptum ferendum est. Præterea hoc etiam sub-
 missa divinæ Providentiæ veneratione admiror,
 tot objectas undique difficultates, ingeniosorum
 itidem hominum successibus nostris invidentium,
 & ex pacti fide contra nitentium, quanquam ami-
 corum nomen palam profiterentur, lepida com-
 menta & importunas flagitationes, non potuisse
 rebus nostris ita officere, ut non valuerit Dei
 consilium, qui eos mihi excitavit Fautores, qui-
 bus nullo sanguinis, nullo civilis alicujus necessi-
 tudinis jure mihi adstrictis, Deus hanc mentem
 inspiravit, ut summo studio, enixa opera, con-
 stantiaque singulari in me ornando, tacitis quidem,

at

at potioribus Suffragiis consentirent. Accedit, quod divinum istud de me consilium & Summorum Virorum in me ad hoc fastigium evehendo studium a plerisque omnis generis ac ordinis hominibus publica gratulatione ac lætitia fuerit exceptum comprobatumque; atque etiam nunc intra hos cancellos & in circumfusa Auditorum multitudine, quot ferme capita, tot amicos, & in imis quoque subselliis, quot ingenuarum artium, tot mei studiosos conspiciam, qui universi honorificam stationem, in qua nos provida Dei O. M. cura, bonorum suffragatio & nonnulla doctrinæ opinio collocavit, ex animo gratulantur. Atque hæc A. A. animum propriæ tenuitatis & imbecillitatis conscientia inclinatum erigunt, atque efficiunt, ut fretus divina ope munus capeßam, cujus gratia hoc Suggestum conscendi; quod ipsum Deus, supremum rerum mearum Præsidium Ecclesiæ Scholæque, mihi ac studiosæ Juventuti bene & feliciter evenire velit!

Hujus autem muneris quum legitima quædam auspicia nobis sint injuncta, atque more majorum, qui artem aliquam publice docendam suscipiunt, prima statim Oratione, qua Exercitationibus suis præludunt, in ejus generis argumento explicando versari soleant, quod cum artis illius, quam se tradituros esse profitentur, laude sit conjunctum, & quo publicam de fide sua & industria in obeundo munere spem excitent, aut excitatam confirment; visum est mihi, bona vestra cum venia, quam ambitiose petere in re mihi necessaria nihil adtinet, verba facere, de præcipuis *Causis*, propter quas *Græcarum Litera-*

rum studium tantopere inter nos refrigescat : Qua in re prudentes medicorum filios imitabor, qui primam ac præcipuam operam in exquirendis malis causis ponunt, quoniam ipsis persuasum est, non posse nisi ex causis suis morbi indolem recte cognosci, hac autem minus recte cognita frustra malo remedia quæri. Nolim autem quenquam vestrum A. A. Orationem meam ex argumenti ubertate metiri; pulcre enim intelligo, quid mea in dicendo infantia & vestra in audiendo patientia ferre possit; neque ignoro, quænam præterea pietatis officia mihi persolvenda restent, si gratus magis, quam disertus audire velim: Quapropter exiguis quantum fieri potest spatiis Orationem meam circumscribam, summa tantum rerum capita sectando; in quo tamen si horulæ modum aliquantum fuero prætergressus, dabitis hanc veniam prolixo ac pietatis pleno, quo vestrum beneficium atque hæc studia prosequor, animo, cui explicando nulla sufficere possit oratio. Adeste itaque A. A. auribus animisque faventes, & rem cognoscite!

Qui de Polymathia ac universo Scientiarum ambitu præcipiunt, Eruditionem omnem in verborum ac rerum cognitionem partiri solent: quarum illa, si discendi ordinem spectes, prior; hæc si usum vitæ respicias, potior est: Quum enim Linguæ totidem quasi instrumenta sint, quibus ad rerum cognitionem aditus nobis recluditur, ab his præfidiis ante omnia probe instructum esse oportet illum, qui ad ipsos Eruditionis recessus aliquando penetrare volet. Quemadmodum vero in rerum cognitione, quæ universam Disciplinarum ἐγκυκλοπαιδειαν complectitur, Scien-
tia

tia alia aliis, ut usu, sic dignitate præstat; ita quoque Linguæ, pro diversa hac Scientiarum, quarum interpretes sunt, dignitate, aliæ aliis præstantiores ac nobiliores merito censentur; Siquidem quum in se & seorsim spectatæ Linguæ promiscue omnes non habeant, quo se magnopere commendent, necesse est omnino omnem illarum gloriam a Scientiæ illius, cui quæque faciem præfert, dignitate proficisci. Hæc vero quum ita sint comparata, quis me, quum primas merito Græcæ Linguæ tribuendas esse censeo, quod in ea ceterarum omnium laudes concurrant, temere aliquid ac invidiose statuere, aut opibus nunc meis nimium favere, dixerit? Hæc enim Lingua usum & consuetudinem nobis conciliat cum ea gente, cui divinitus, ac certa quadam fati lege omnis eruditionis amplitudo, ac quicquid fere homini novisse datum est, concessum fuit: De cujus ingenio S. Paulus Apostolus 1. Cor. 1: 22. perhibet: Ἕλληνες σοφίαν ζητοῦσι: Quæ tanta Sapientiæ laude quondam floruit, ut ceteri omnes Orbis qua patet incolæ Barbarorum ignobili nomine censerentur: A quibus etiam deinceps fluxit, quicquid eruditionis ac sapientiæ ad reliquos populos dimanavit; ita ut nemo se unquam nisi in illorum imitatione aliquam laudem consequi posse crederet, quod summorum apud Romanos ingeniorum, *Ciceronis*, *Virgilii*, ceterorum, exemplis & ingenua confessione constat: quamobrem etiam *Quintilianus* puerum, quem formare docet, a græco Sermone mavult incipere: Atque hujus rei præterea argumentum omni exceptione majus est, quod nomina ipsa Disciplinarum omnium græcam originem manifeste referunt. Jam vero quæ alia

gens unquam fuit; quæ plura in omni genere Doctrinæ & excellentiora ingenia protulit, quorum etiam monumenta literis consignata, provida divini Numinis in bonum nostrum excubantis cura, ex magno Literarum naufragio erepta doctorum hominum studio nobis conservata sunt, adeo ut pars nulla humanæ cognitionis sit, quamvis vel ad solam hujus vitæ commoditatem pertineat, cui non hic parata sint præclarissima quævis subsidia. Nolite igitur errare adolescentes, aut existimare, quum de Lingua græca agitur, leve quidquam agi, quod ad Sapientiam parum pertineat: Agitur in Linguæ Græcæ negotio Summa universæ doctrinæ, agitur orbis omnium disciplinarum, ipsa agitur Sapientia, cujus summum certe apicem sine græcæ Linguæ cognitione attingere nunquam possitis. Etenim hujus Linguæ beneficio possumus cum tot ingeniis præfici ævi maximis versari in Libris eorum tractandis, quos illi non famis pellendæ ergo, non perfunctorie, ut moribus aut officio alicui satisfacere, non humili alia de causa, qua hodie plerique libri eduntur; sed eo consilio scripserunt, ut quales ipsi in vita & Rep. fuere, tales etiam ex libris suis cognoscerentur apud posteros, tales ipsos quoque posteros felici quodam sensuum & morum contagio ex ipsis illis animorum suorum reliquiis hausto redderent; adeo verum est, quod emunctæ prorsus naris Vir *Horatius* perhibet:

*Græcis Ingenium, Græcis dedit ore rotundo
Musa loqui.* - - - -

Neque vero universa hujus Linguæ laus in hoc absolvitur, quod omnem elegantem doctrinam, omnem cognitionem dignam hominis ingenui

genui Studio, uno verbo, quicquid usquam est politiorum disciplinarum, contineat, usque adeo ut hac neglecta necesse sit omnibus bonis artibus certissimam pestem ac perniciem imminere: Multo majora sunt, ita me Deus amet, quæ hujus Idiomatis cognitionem præ ceteris omnibus insigniter commendant, in quibus præcipuum hoc est, quod Deus hanc Linguam divinæ suæ mentis interpretem esse voluit. Quapropter quum Lingua quævis ceteras tantum præstantia vincat, quantum præstat illa doctrina, ad quam explicandam adhibetur; neminem profecto esse arbitror, qui negare audeat, Græcam Linguam ceteris tantum præcellere, quantum divina humanis; hanc proinde insigne Dei donum esse; & singulare prorsus in ejus cognitione Ecclesiæ præsidium esse positum, sine qua doctrina cœlestis, quæ & portum vitæ perennis nobis monstrat, & totius vitæ nostræ, consiliorum & actionum norma est, intelligi vel explicari recte non potest: Ut enim pharmacum a Medea Jasoni datum Argonautis ad rapiendum aureum vellus facilem aditum præbuit; ita Linguæ Græcæ notitia ad maximi pretii thesaurum, sc. ad fontes veræ de Deo doctrinæ & salutis Philosophiæ in Libris N. T. comprehensæ aditum patefacit, ejusdem velut janua & clavis est. Atque hæc una vos, Adolescentes, qui plerique olim divinorum Oraculorum ad plebem christianam Interpretes esse, vel audire saltém, cupitis, hæc, inquam, una vos, si ceteras omnes insuper habeatis, movere debet ratio, ut summam hujus studii necessitatem agnoscatis: Quis enim sine aliquo harum Literarum gustu publici Doctoris

toris munus cum πληροφορία ac fiducia recte implere & sanctissimi, quod profitetur, nominis dignitatem tueri se aliquando posse sibi persuaserit? Profecto eum oportet gnaviter esse impudentem, qui divinorum Oraculorum Interpretis nomen ambitiose affectat, ejus vero Linguæ, qua divina Oracula perscripta sunt, juxta cum ipsa plebe perinde imperitus est, ac publice proficitur, se aliis accurate expositurum, quæ ne quidem ipse nisi per Interpretem intelligere possit. Hæc vero quum ita se habeant, & alterum mihi quoque concedatis necesse est, non omnem hujus Studii necessitatem intra gramaticam N. F. interpretationem concludi posse: quum enim Deus Græca profanorum Lingua, qualis per id ætatis plerisque gentibus familiaris & vernacula erat, Salutis mysteria, quæ ad omnes pertinerent, exponi voluit; atque etiam ipsa Ratio non obscure doceat, ad intelligendam cujusvis Scriptoris mentem ante omnia respiciendum esse ad usum Sermonis & consuetudinem hominum illa Lingua utentium; quis non fateri cogitur, Græcis Scriptoribus legendis multum profici ad S. Scriptores rectius intelligendos, recteque ex illis aliquam interpretandi rationem desumi: Si enim græca sit, ut est, N. T. Scriptura, eadem quoad λέξις & Linguæ Locutionumque genium ex aliis Scriptoribus intelligi, exponi & illustrari potest; non secus ac Latini ex Latinis, & Græcorum alii ex aliis per similibus phrasium modorumque loquendi collationem lucem accipiunt: Cujus exercitationis circa N. F. phrasin ac stylum uberrima suppetit materia, extantibus tot Græcorum Scriptis, qui eodem quo Apostoli Je-
su

fu Christi, quanquam in diverso Scriptionis argumento, ore locuti sunt; Quum autem hoc interpretandi subsidium ex nativa græci idiomatis indole repetendum commendo, non tamen id ita necessarium esse affirmo, ut sine illo verum Literarum S. sensum vel investigari, vel obtineri posse, inter ea quæ fieri nequeunt, numerandum esse putem; etenim de hac re prorsus facio cum illustri ætatis nostræ ornamento Cl. *MOSHEMIO*, qui peculiari *Observatione S. quid justum sit circa S. Literarum ex græcis & latinis Scriptoribus interpretationem & emendationem* ita accurate definivit, ut æqui omnes ejus in hanc rem decreta vim Legis obtinere ultro fateantur.

Quoniam vero ex communi Eruditorum sententia S. N. F. Scriptores profanam qua usi sunt Linguam ad divini Sermonis indolem nonnihil inflectere & aptare debuerunt, ne omnis prophetici Sermonis gratia virtusque in alieno ore periret, vel profundi cœlestis Doctrinæ sensus in aliam Linguam transfusi vim paterentur, recte inde conficitur, ei, qui accuratam stili, quo sacri N. T. Scriptores usi sunt intelligentiam consequi studeat, præter profanos illos græcos Auctores, etiam Apocryphos, qui vocantur V. T. Libros, & in primis græcam LXX Interpretum Translationem, quam ipsi S. Apostoli adhibere religioni sibi non duxerant, diligenter esse pervolvendam: atque quæ hujus Translationis in explicandis N. T. tabulis sit necessitas, quis usus, dedita opera præ ceteris demonstratum ivit illustris *PEARSONIUS* in Dissertatione parænetica, quam nostræ quoque Editioni præmisimus.

Sed

Sed ne hæc quidem præconia, quamvis nullam laudis accessionem pati videantur, omnem Linguæ Græcæ dignitatem & amplitudinem exhauriunt; multo adhuc latius patet ejus usus, & ad omnes Scriptores græcos ecclesiasticos, quos Patres vocant, & qui Latinos numero ac eruditione multum antecellunt, extenditur, a quibus nobis Veritas cœlestis quasi per manus tradita est, & ex quorum libris omnis S. Antiquitatis cognitio ac universa Historia christiana est repetenda; quod Cel. apud Basileenses Theologus *JO. LUD. FREY* in Præf. apologetica, quam splendidæ Epistolarum S. Patrum Apostolicorum editioni nuper a se curatæ præfixit, pluribus est persecutus, ubi ex professo id agit, ut Patrum ecclesiasticorum monumenta ab injusto contemptu vindicet, eorundemque tractationem Studiosis de meliore nota commendet; qua simul opera obscuris quorundam detractionibus & clandestinis calumniis obviam ire voluit, qui non verentur procaciter venditare, S. Philologiæ & imprimis Græcæ Literaturæ studia in illustri hac Academia nullo loco haberi. Græca igitur Lingua, ut uno verbo omnia complectar, & lumen cœlesti doctrinæ præfert, & totum orbem liberalis ac cultioris doctrinæ fulcit atque sustentat, neque alia Lingua est, quæ ad hanc laudem aspirare possit, aut pari studio digna censenda sit. „ Equidem „ non invidemus Latino Sermoni suam gloriam, „ quod communis est & q. domesticus studiorum arbiter ac interpres; ultro etiam largimur, „ non esse aliam Linguam, cujus hac nostra ætate usus in docendo æque late pateat: Sed quam „ longe hoc abest ab ea Laude, quam Græcæ „ Lin-

„ Linguæ propriam esse diximus, quod per illam
 „ Dei Filium, ejusdemque ad nos Legatos lo-
 „ quentes ac ea docentes sine interprete intelli-
 „ gere possumus, quæ non ad ingenii cultum
 „ aut ambitiosam inanis Scientiæ ostentationem,
 „ sed ad promovendam veram ac sempiternam
 „ hominis felicitatem unice faciunt.,,

At nescio quo iniquo fato eveniat, ut Græcæ
 Literaturæ studia, si Grammaticam exceperis,
 passim frigeant, neque eodem cum Romana re-
 liquisque loco aut pretio habeantur, neque etiam
 pari studio excolantur. Scil. Latina ignorare a
 turpitudine proxime sejunctum est, contra hanc
 didicisse nemini prope laudi ducitur: Quo non
 apparatu instructi ad Romani Sermonis cultum
 accedimus? quo studio, quo conatu, quanta
 exercitationis vi id agimus, ut latine aliquid in-
 terpretari aut balbutire possimus: Contra quam
 rari sunt etiam inter illos, qui divinorum Ora-
 culorum Interpretes audiunt, qui eam sibi græ-
 ci Sermonis facultatem compararunt, ut possint
 Græcum N. T. Librum ipsi per se intelligere,
 & quod ajunt, in hoc Oceano sine cortice na-
 re? Immo vero, quod præfiscine dixerim, in-
 venias etiam nonnullos, qui toto, quo Sacro
 munere publice defunguntur, tempore, græco
 N. T. Codice, si quidem tali sint instructi, fa-
 cilius carere possent, quam *Starckii Synopsi ex-
 egetica*, *Piscatoris indice Locorum biblicorum*, aut
 variis Homiliarum formulis sive editis, sive,
 quod reconditam magis eruditionem sapit, scrip-
 tis. Quam multis porro græci illi Patres ec-
 clesiastici vix de nomine noti sunt, quos pri-
 mum in beatis aliquando sedibus conspiciere ac
 am-

amplexari præoptant : Ut nihil jam dicam de profanis Græciæ Scriptoribus ; quotusquisque enim hodie Medicorum non mavult ex recentiorum dictatis formulis sapere, quam iis græcos fontes jungere ? Aristotelem ne quidem isti legunt, qui se ejus sequaces profitentur ; illi vero etiam contemnunt, qui ex scholastica Servitute in recentiorum Servitute, mutato tantum Domino, transierunt : Platonem vero divinum sane Virum & Philosophorum omnium principem, cujus *Φιλοσοφήματα* sub alieno titulo hodie miro fervore recoquuntur, raro in Bibliothecis reperias. Nemo autem me propterea morosum ac difficilem, nemo queribundum aut ævo nostro iratum arbitretur : Hic dies querimoniis non est destinatus. Quam optarem, ut omnia illa falsissima essent, quæ de neglectu culturæ Literarum græcarum dicuntur : Sed res in aprico posita est, neque intra Academicorum Doctorum *Μετεια* hæ querelæ continentur, sed in limina potentiorum jam penetrant, qui quum optime perspiciant, quantum cœtui puriori, quantum Reip. intersit, ut græca Literatura diligentius excolatur, jam idonea huic malo remedia circumspiciunt, nihilque intentatum relinquunt ad has literas a fuga retrahendas, atque ab interitu vindicandas. Meministis credo juxta mecum Vos omnes, qui aut Scholæ nostræ curam geritis, aut scholastico alicui muneri estis præfecti, gravissimæ illius Orationis, qua magnificentissimus Consul ESCHERUS, Populi sui & Musarum delictum, in solenni aliqua Doctorum publicorum lustratione, Græcas Literas, ut suas delicias, magnopere commendavit, ad eas am-
 plecten-

plectendas serio est cohortatus, & qua ratione studium illarum inter nos excitari ac promoveri possit, oppido scite & perite docuit.

Sed quærat hic forte aliquis, quum ego me de Caussis neglectus Linguæ Græcæ expositurum fidem fecerim, quorsum nunc pertineat tam proluxa de Linguæ ejus necessitate ac multiplici usu Disputatio? Hunc ego velim ad hominum mores & ingenium respicere, quos, quamdiu nullum ex labore aliquo fructum animo præcipiunt, frustra ad illum laborem suscipiendum impellas; contra ubi primum cognitionem aliquam magnum afferre commodum sibi persuadent, non possunt amplius a se impetrare, ut illam neglegant aut insuper habeant: Ita ut non alia potior Causa sit, neglectus Literaturæ græcæ, quam quod paucissimi de ejus necessitate vere sunt persuasi, quoniam aut non satis perspiciunt insignes, quos hoc studium in omnem vitam spargere solet, fructus, aut iisdem non valde capiuntur: Quapropter hi duplicis fere generis sunt: Alii enim, quia nihil utile putant nisi quod ad quæstum facit, præ quo omnem honestam animi voluptatem parvi pendunt, etiam Sapientiæ studia fastidiunt, & Musas omnes ut tristes esuritionum matres abhorrent; cum quibus si incertamen descendas, uno hoc defungi solent axioma, *Nihil ad farinam hæc conferre*; quod nunc omnium, qui eruditionem negligunt, intercalare carmen est. Et profecto, nec Scientia, nec Eruditio, fatendum enim est, ad fœnum quicquam conferunt, quo boves, aut ad carduum, quo asini pascuntur: ut non mirum sit, si tales non in Scientia ac Ratione fructum vitæ, sed in cibo

finem ejus pariter & fructum ponunt; quod ne belluæ profiteantur, nihil præter Linguam obstat: Et tamen tanta fuit veterum Simplicitas, ut T. Livius bovem locutum esse inter prodigia non semel posuerit; cum non raro similes hoc tempore loquantur, indigni in quibus refellendis operam aliquam ponas. Ceterum quanquam Sapientiæ ac Literarum studia non sint ex eo rerum genere, quod proprie & sua natura ad unctiorem fortunam parandam valet: Non tamen omne prorsus ad bene sperandum literatis Viris dejectum est signum; vix etenim unum aliquem reperire est, vel summum doctrina, vel saltem non contemnendum, qui si doctrinæ prudentiam adjunxerit, vel honorum luce, vel vitæ subsidiis & commodis caruerit. Sunt vero deinde & alii, qui quum audiunt Literas græcas tanquam omnis Doctrinæ ac Sapientiæ interpretes commendari, quanquam nihil præter rem dictum putent, parum tamen moventur, ut harum Literarum necessitatem admittant, quia ad res omnes Græcorum pernoscendas satis præsidii atque adjumenti collocant in interpretationibus latinis. Verum ego mihi hæcenus non potui persuadere, hos qui ita judicant, serio & ex animo ita statuere, sed potius hoc suo judicio ignaviæ aliquam excusationem aut colorem velle obtendere: Quod si enim tanto, uti præ se ferunt, Sapientiæ studio ducerentur, primo non intelligo, quamobrem malint cuivis alteri, qui Interpretis nomen profitetur, quam sibi fidem habere, & sectari rivulos, quum possint ex ipso fonte haurire, quod semper levis & ignavi animi argumentum fuit: Deinde si nonnisi post rem cognitam statuerent,

non

non possent ita liberaliter sentire de omnibus promiscue Interpretationibus latinis : Plures enim sunt, quæ nimis putide ac serviliter ad singula verba confinguntur, quam quæ liberiore stilo sententias consecantur : Jam vero, quum fieri vix possit, ut sententia ubique eadem felicitate ac perspicuitate in alienam Linguam transfundatur, aut ulla Versio leporem illum solis græcis peculiarem & orationis succum possit assequi ; multo minus intelligitur, quomodo hujus generis Interpretatio, quæ dictionis barbara sordidaque penitus impedita ac inquinata est, & multo majori, quam ipsa oratio, obscuritate laborat, quamque verius Metamorphosin, quam Versionem dixeris, quenquam possit ad legendum allicere, aut in legendo retinere. Iis sane, qui græce periti sunt, triobolares isti interpretes instar Virgiliani Mezentii squalidum & putidum latinæ Translationis Cadaver græco autori animato & vivo alligare visi sunt : Quod ut planius faciam, peto a vobis A. A. si quis *Opitii* aut *Halleri* carmina ad verbum latine interpretaretur, quemadmodum latine redditus circumfertur infelix Homerus, nonne eorum pulchritudinem ac venustatem miserrime deformaret? aut quis eos sine stomacho posset amplius evolvere? Sed simus æqui, ac largiamur etiam illis, qui interpretationum fide nituntur, & in illis acquiescendum esse prædicant, non omnes Græcorum scriptorum Versiones pessimi commatis esse, dari nonnullas, quæ nitore ac proprietate ad ipsos, quos explicant auctores, quam proxime accedant: quo in genere, ut latinos nunc omittam, sunt Interpretationes v. c. Homeri recentiores, Gallica,

a fœmina longe doctissima *Anna Dacera* ita instructa, ut nihil supra in quavis elaboratissima versione desiderari posse videatur: Anglica, ab *Alex. Pope*, insigni nostri temporis vate, cujus recens fatum Musæ elegantiores fatis lugere non possunt, versibus cum homoteleuto elaborata, quæ tam bene Homeri indolem exprimit, Anglicæ Linguæ servato lepore, ut illam omnes merito admirentur ac exosculentur: Et denique Hetrusca, ab *Antonio Maria Salvini* summa fide exposita, cujus hæc propria laus est, quod qualicuit elegantia, græca Homeri verba totidem ferme Hetruscis, eodem etiam passim servato ordine, reddita sint. Et tamen hi ipsi Interpretes agnoverunt, ac ingenue etiam fassi sunt, se græcas Homeri venteres, elegantiam, suavitatem exæquare minime potuisse. Fac vero nunc extare omnium Græcorum Scriptorum interpretationes pari cura ac elegantia confectas, fateor equidem has posse aliquatenus satisfacere illis, qui res græcorum libris traditas penitus cognoscere student: Sed ne tunc quidem prorsus supervacanea esset, quæ in græcarum literarum studio ponitur diligentia; siquidem non aliter græci idiotismi gustum aliquem consequimur, qui N. F. literis utilius ac profundius assequendis præsidium afferat, nemo enim quisquam suam divinorum verborum sitim penitus explere potest, nisi in græcos semet fontes pæne ingurgitet.

Quapropter tantum abest, ut Græcorum Scriptorum Versiones, quæ hodie magno numero extant, Studii græci necessitatem vel tantillum imminuant, ut has ipsas potius inter Causas neglectus primo fere loco referre nullus dubitem.

Pro-

Profecto quum nullæ adhuc extarent Interpretationes latinæ, nemini nisi græce docto aditus ad græcorum Libros & reconditos ibi eruditionis ac sapientiæ thesauros patebat: itaque tunc necesse erat, aut græcas literas obstinato animo perdiscere, aut omnem hanc Eruditionis gloriam abdicare. Nunc vero Interpretationum fiducia nemo fere ad has literas perdiscendas serio animum applicat, & tamen promiscue omnes græce eruditionis laudem affectant, & nonnunquam ambitiosius ostentant, ut fucum faciant imperitis. Miramur sæpe Majores nostros in tanta subsidi-
orum penuria adeo stupendas in Literis progressiones fecisse: verum ego ita semper existimavi, hæc ipsa subsidia, quæ nunc tanto numero suppetunt, nonnisi ignaviæ subsidia esse, quæ studium omne ac laboris patientiam frangant & imminuant, ut adeo mirum non sit, nos longe infra illorum laudes subsistere. Quinimmo adeo ingeniosum est hoc seculum nostrum in inveniendis eruditionis compendiis, ut ne pueris quidem & oscitantibus amplius de summa eruditionis laude sit desperandum: Cujus rei exemplum esse possunt Eustathianæ illæ in Homerum Περικ-
βολæ a doctissimo Viro *Angelo Polito* perpetua latina interpretatione donatæ, de quo inutili labore dici merito potest, quod summus Vir *Jos. Scaliger* de *Salmasii* consilio, quo *Stephani Byzantini* Lexicon geographicum cum versione latina edendum susceperat, *Epist. CXLV.* scripsit: *Quomodo ulla interpretatio latina e dignitate adjici possit, non video.* - - - *Melius tibi consultum fore credo, si hoc labore supersederis, ex quo tenuissimus ad imperitos, nullus ad doctiores fructus: ad te vero*

nulla gloria proventura sit. Quid quod etiam puerorum profectui obstare compertum est hæc interpretationis subsidia, quapropter illa penitus e Scholis eliminanda esse sapientiores rei scholasticæ Consultores suaserunt. *Moses du Soul V. C.* qui ad Plutarchi Vitas Londini MDCCXXIX. V. Voluminibus, forma quarta, studio Bryani editas, cum is operi immortalus esset, præfatus est, in fine hujus Præfationis, ubi de causis agit, cur pauci græce discant hodie feliciter, diserte etiam refert *morem Versionum ad latus ponendarum.* Et mox deinde subjicit: *Qui igitur græce discere velint, græcas editiones veteres in manus sumant, in quibus latini nihil est; omnia per se, quantum possunt, ope Lexici intelligere nitantur. In margine ipsius quem legunt libri, quæ molestiam creant, adnotent. Perlectum sic accurate librum repetitis lectionibus sic sibi familiarem reddant, spondeoque paucis annis futurum, ut magno cum fructu, quoscunque opus fuerit, evolvere & intelligere libros græcos possint.* Et in eandem prorsus sententiam differit magnum illud Germaniæ & rei scholasticæ decus *Matthias Gessnerus* præf. in Chrestom. græcam: *Ex quo tempore, inquit, in Schola vel discendi vel docendi causa versatus sum, animadverti, pestem illam capitalem græcarum literarum esse, quod græcis libris fere talibus utuntur adolescentuli, quibus latina interpretatio e regione adjuncta est. Cum igitur jubentur interpretari aliquid, primo verba aliquot græca legunt, tum his subjiciunt latina totidem circiter; qua in re tanto facilius, non præceptori quidem, nisi is plane hebes sit; sed sibi fucum faciunt, a quo tempore Leusdenianæ illæ editiones N. T. græco-latinae Scholas inundarunt, verbum verbo reddentes, si non*
latino,

latino, at certe barbaro; unde illud etiam quasi colorarii loco damni accedit, ut sordes quædam latini Sermonis tanto magis apud eos inolecant, & articuli præsertim præpositivi ratio, quoties ille non nominibus jungitur, ita obscuretur, ut frustra sint luculentissimæ ea de re præceptiones. Huic igitur malo non commodius occurri posse puto, quam si in manus tradantur publi scholasticæ libri illo ignorantie propugnaculo destituti. Hactenus illi. Neque proin audiendi sunt, qui hos græcorum librorum pueriles interpretationes verbotenus confectas tironibus eo nomine commendant, quod illarum ope ac ductu per multa extricent atque expediant, quæ ipsi per se nimis laboriose assequerentur: Aut qui censent etiam Magistrorum causâ eas adjiciendas esse, qui in locis difficilibus hæreant, & subsidiis destituti nesciant se expedire: Num etiam tanti est propter paucos nodos totius libri interpretationem adjicere, imprimis cum vulgatæ interpretationes hoc vel maxime vitii habeant, ut in iis locis, ubi aliquis hæerere possit, ipsæ vitiosæ sint. Quod si vero ista ratio valeret in Græcis, quid ni etiam in latinis perinde valeret? Quis autem ferret Cornelium Nepotem aut J. Cæsarem, quia in quibusdam locis etiam doctus hæerere potest, cum interpretatione germanica edi? Aut quamobrem germanicas Romanorum Scriptorum versiones tantopere averſamur, & larvati illius Sinceri Scholia germanica e puerorum manibus excutimus? „ Non tamen non possum „ illud quorundam in Germania reviviscens studium in edendis græcorum Libellis cum interpretatione germanica ex adverso posita laudare, quatenus hæc ratio plurimum valere po-

„ test apud imperitos ad commendandum græ-
 „ cæ literaturæ ac sapientiæ studium : Atque
 „ in hoc genere plurimum tribuo splendidæ edi-
 „ tioni Dialogorum quorundam Platonis a Cl. *Mil-*
 „ *lero* , Gymnasii Hamburg. Ephoro nuperrime
 „ curatæ. „

At vero cum hac , quam hæctenus exposui-
 mus , Caussa , ob quam Linguae græcæ studia
 passim frigide ac negligenter tractantur , alia est
 conjuncta , quam in Librorum græcorum , qui
 hodie comparari possunt , raritate ac pretio , quod
 privati hominis facultates plerumque excedit , po-
 sitam esse censeo. Nihil jam dicam de præcis il-
 lis Manutiorum , Juntarum , Stephanorum Editi-
 onibus , quæ quoniam fere ipsis scriptis Codici-
 bus æquiparari solent , inter regias & publicas
 opes adnumerantur : nihil etiam movebo de
 splendidis illis & voluminosis editionibus trans-
 marinis , quas toto orbe divisa , sed ferax Litera-
 rum Britannia doctissimorum Virorum studio in
 lucem produxit , quæ in his oris nostris albo
 corvo rariores sunt , & ditiorum Bibliothecas , ut
κειμήλια exornant. De iis tantum loquar , quæ
 aut magis parabiles sunt ; aut frequentius sese no-
 bis offerunt , Basileenses puta , Wechelianas ex
 antiquis ; ex recentioribus vero Belgicas vario-
 rum Commentariis instructas & illustratas , item-
 que Parisinas græcorum Patrum , quæ a prælo
 adhuc recentes in Librorum catalogis venum ex-
 ponuntur : Illas quod attinet , quam rarum est ,
 vos ipsos testor , A. A. ut Plato , Plutarchus ,
 Lucianus , Xenophon aliquis , idemque integer
 inter venales Libros sese nobis objiciat ? Has
 vero , quanquam passim apud omnes bibliopo-
 las

las proſtent, ſi quis homo privatus ære ſuo redimere velit, ad eas comparandas, ne quidem lautiffima ſtipendia ſufficerent: Itaque paupertas bonæ mentis ſoror pleroſque ab horum Librorum uſu excludit. Quominus tamen homines noſtri hanc ſuæ ignaviæ cauſſam prætexant, ſtudioſe cavit Ampliſſimorum publicæ noſtræ Bibliothecæ Curatorum Providentia, qui in publicos uſus & ad ſublevandum hac in parte græcarum Literarum ſtudium, illud bonarum Artium ac Scientiarum promptuarium ab hoc genere Librorum egregie inſtructum eſſe voluerunt. Et præclare quoque de iisdem his Literis mereri inſtituit V. Cl. mihiſque amiſſimus *J. Aug. Erneſti*, Lit. hum. apud Lips. Prof. qui laudanda induſtria in recensendis Xenophonteis quibusdam libellis adeo feliciter verſatus eſt, ut Anglorum in recudendis his æmulationem meruerit; & tamen iſtæ ejus editiones ita ſunt comparatæ, ut æquiſſimo pretio a quovis parari facile poſſint: Cum contra pretioſiſſimæ illæ Batavorum editiones, quas proçudit ætas noſtra, non ſint omnino ſatis accomodatæ eorum ſtudiis, qui auctores veteres cognoſcere & eruditionem ex iis haurire cupiunt, neque tamen ſine aliena ope & interpretis auxilio poſſunt ea, quæ eruditionibus vulgata & facilia videntur, intelligere; quod novum ſtudio Linguae græcæ impedimentum adfert: Qui enim has Editiones curant, præter latinam verſionem variorum Notas, aut excerptas, aut integras, adjungunt; quorum alterum hoc habet incommodi, quod Libri molem præter uſum magnopere auget, multa etiam ne tironibus quidem ignota, multa ad intelligendum non ne-

cessaria, multa falsa, melius hodie perspecta & a posterioribus interpretibus aut confutata jam, aut confutanda, tamen legenda sint, tantaque notarum moles congeritur, ut ipse Auctor tanquam cymba in Oceano inter Commentatorum, tanquam pugnantium ventorum diffidia ac procellas, natare videatur. Nec magis probari potest altera illa ratio, propterea quod delectus ille difficilis est, neque facile omnibus in hac ratione satisfieri potest, ut Screveliana illa male & inapte mutilandi laboris alieni licentia constat.

Sed agite A. A. unam adhuc, quanquam plures neglectus hujus Causas superesse non ignorem, pace vestra attingam, quam a primæ Institutionis nimia difficultate & prolixitate arcessendam esse duco, qua efficitur, ut græcas qui amare nondum possunt Literas, oderint: Unde sæpe accidit, ut complures adolescentium diem illum execrentur, dirisque omnibus devoveant, quo græci Sermonis studiis se addixerunt, & conditionem suam, quam putant miserrimam, conquerantur, cum alia vel sordidiore atque obscuriore commutare cupientes. Etenim nuda Grammatices præcepta infinitis prope exceptiunculis distincta, ipsa per se minime pascunt animum, doctrinæ amorem non inducunt, neque ad Literarum studium alliciunt. Potest quidem aliquando vi ac pœnæ formidine progressus aliquis vel ab invitis extorqueri: Sed nihil coactum diuturnum, neque puerorum ingenium tristi cura acerboque fastidio pressum sese efferre, aut lacertos exerere suos potest, sed intra illiberalis studii angustos cancellos misere torpet. Quotiescunque de Grammatica institutione agitur, toties illud Taciti animo

mo succurrit: *Homines Romani neque totam Servitutum pati possunt, neque totam Libertatem.* Id ipsum de pueris judico; nec totam pati possunt regularum grammaticarum Servitutum; nec totam laxioris studii libertatem; æque enim vitium est, sive nullis, sive supervacaneis uti regulis. Volo igitur ab arte grammatica veluti a docta nutricula institutionis q. lacte educantur pueri; nonquam enim certo ac stabili gradu consistent, nisi ars grammatica præceptionibus suis bene illos firmaverit ac munierit. Sed odiosum ac non ferendum esse dico, in quo tamen Scholarum genius mihi ignoscat! quod græca elementa pueris difficili & incomperta Lingua ac methodo tradantur, quasi si quis hebrææ Linguae rudimenta græco Sermone explicare vellet, aut in vernaculo vel etiam latino Sermone omnes inflexiones ab uno aliquo fonte per infinitas rationum series ac circulos circumducere: quod in formandis temporum rationibus genealogicas illas propagines, non omnes perinde certas, tantopere urgent, & quo modo altera in alteram formam transeat, ita operose scrutantur, q. novam aliquam Linguam ad philosophicas leges exactam confingere deberent; non eam tradere, quæ tota usu constat, & cujus vera & nativa indoles ex auctorum lectione cognoscenda est: quod totos dies nullo melioris studii levamento in his detinentur pueri: quod omnis, quamvis rarior lectio & interpretatio, cui Grammatica tota servire deberet, ad hanc unam refertur; & quæ alia sunt ejus generis, quæ jam olim peculiari *Dissertatione de eo quod nimium est in institutione grammatica* pluribus explicavimus. Nocere enim
 puta-

putamus grammaticas regulas, ut animadvertit Fabius, circa illas hærentibus, non per illas euntibus. Miseret me profecto scholasticæ pubis, quotiescunque voluminosa illa in tribus Linguis Grammatices Systemata considero, quæ infinitum prope regularum & exceptionum agmen concludunt, & centum propemodum folia conficiunt, quæ XIII aut XIII annorum puer ἀναγκαστικῶς h. e. non sine fastidio devorare debet. Jam vero si eam rationem, quam plerique Magistri in explicandis Auctoribus sequuntur, consideremus, mirum non est, eam ad amplectendum græcarum Literarum studium neminem valde invitare: Hic audias plerosque aut circa singularum vocum incertas & obscuras origines anxie laborantes & ingeniosas græcorum Scholiastarum nugas tanquam ex tripode dicta venditantes: aut miras, ubi nusquam sunt, immo vero in singulis quoque particulis & apicibus ἐμφορμαί & mysteria consectantes: aut Linguæ Causas, quas illi minime habuerunt perspectas, qui summa ejus facultate & elegantia pollebant, ut digitos suos enumerantes: aut denique omnia, quæ in Lexico aliquo græco, magna exemplorum copia instructo ad unam aliquam vocem congesta inveniunt, prolixius persequentes, ut ita multæ Læctionis fucum faciant; adeoque omnia alia agentes, quam quæ agenda forent & ad intelligendum Autorem, quem exposituros se profitentur, faciunt, quo fit ut in unico sæpe versiculo totos dies consumant, tantum ut docti ac disertis videantur. Adeo ambitione corrupta est Auctores veteres interpretandi ratio, quæ unum hoc efficere debet, ut quid Scriptor aliquis hac illave

illave ætate vocabulo quodam aut formula quadam loquendi usus cogitaverit, legentes plane intelligant, quod Lexicorum usu effici sæpe non potest. Itaque si ii, qui librorum interpretandorum olim negotium sibi sumserant, quos Grammaticos vocabant, & quorum rationem ex veterum Scholiis propemodum cognoscere licet, si, inquam, jam in vitam redirent & viderent, quod ipsi uno sæpe aut tribus verbis explicare potuerint, in eo nostræ ætatis ambitionem ita longas Disputationes explicare, ut unum sæpe verbum fiat liber, profecto valde nos otio abundare crederent. Et sane si eandem nos viam ac methodum ad docendas ac discendas Gallicam, Anglicam, Hetruscam Linguas transferremus, quam in Græca vulgo usurpamus, nemo certe ex solis libris eam harum Linguarum facultatem amplius assequi posset, quam nunc brevi adeo tempore nos consequi compertum est. Fateor equidem non valde esset improbanda methodus illa scholastica, si omnes aut plerique, qui nobis operam dant, olim essent futuri Linguarum Doctores & magistri, hos enim causas & rationes suæ artis habere perspectas multum juvat; illis vero, quorum pars multo maxima est, qui eum in finem Linguarum studiis se dedunt, ut sibi claves acquirant, quibus sibi & aliis Sapientiæ ac Eruditionis Thesauros recludere possint, illis, inquam, maximum est profectus impedimentum, si in paranda clavi consenscant, quo non solum animus a literis avertitur; sed & alterum inde provenit malum, quod pueriles mentes exsuccæ sterilesque ad reliquarum doctrinarum studium, ad quod exactis pueritiæ spatiis gradum facere debe,

deberent, non disponantur: Præter enim Grammaticen & vagas aliquas cognitiones, quas ex auctorum enarrationibus accipiunt, quæque facile ex animis avolant, si nihil aliud in Scholis complurium annorum curriculo colligant adolescentes, parum profecto promovisse, exiguumque putaverim eos fecisse quæstum, cum eorum mentes & ditari & fecundari ibi possent multis jactis doctrinarum seminibus, quibus accipiendis late patent. Contra illiberaliter instituti pueri similes ingenio sunt iis puellis, quas, ut ait Terentius, graciles atque junceas curatura faciunt matres, exilem præbentes cibum, arctisque vestibus constringentes: angustis namque Grammatices claustris circumdati & duris quasi vinculis adstricti, modicoque eruditionis cibo alti, tenuiter in doctrina adolescent, macie quadam sterilescetes. Ne sinant igitur magistri in uno Grammaticarum Regularum circulo conclusa sive conensecere, sive stupere discipulorum ingenia: Opus esse considerent,

*Ut puerorum ætas improvida ludificetur
 Laborum tenuis, interea perpotet amarum
 Absinthii laticem.* - - -

Sed excedit nostra, quem animus sibi proposuit terminum, Oratio, & quanquam plures adhuc excitari possent Causæ, ob quas Græcæ Literæ satis frigide a plerisque tractari solent; potior tamen nunc nobis habenda est temporis ratio, quæ me dicendi modum facere jubet, ut reliqua oratio iis Pietatis officiis defungi adhuc possit, quibus & memoria Viri Clariss. in cujus ego locum fui surrogatus, celebrâretur, & ingens illud summorum Virorum in me ita ornan-

do

do beneficium gratæ & devotæ mentis testificatione illustretur. Et primum quidem quod spectat, ne laudes pie defuncti culpa ingenii & orationis exilitate deteram, ex prolixiore ab ipso quondam Cl. Viro conscripta Biographia summas vitæ ipsius rationes strictim carptimque servato temporis ordine enarrabo.

Itaque Vir dum viveret præclare de Schola & Ecclesia nostra meritus, JO. HENR. HIRZELIUS vitam hanc ingressus est Tiguri ad d. XIX. Cal. Sept. CIOCLXXIX, Patre *Solomone* ex inclyto *Hirzeliadum* Stemmata, matre *Anna Maria Reutlingera*. Animadversis in puerulo felicis ingenii igniculis nihil intermissum est, quo præclara indoles ad virtutem & doctrinam formaretur. Postquam igitur fuisset traditus optimis Scholæ patriæ, magistris brevi feliciter emensus est totum illud Scholasticæ vitæ curriculum, cum ingenii sui felicitate; tum vero maxime quod ipsi contigisset uti privata Institutione Fratrum germanorum doctissimorum, *J. Jacobi & Conradi Reutlingerorum*, quorum ille ingeniorum formator felicissimus, quem sua in rem scholasticam merita immortalem reddunt, adhuc per Dei gratiam superstes est, atque ut porro sit, boni omnes omnibus votis expetunt. Erat quidem noster primum animo a sanctioribus Literis alieno, Arithmetices imprimis & Linguæ gallicæ studiis deditus, eo consilio, ut vel opt. Parenti mercaturam exercenti aliquando ad manus esset; vel etiam ut militiæ, a qua non prorsus abhorrebat animus, nomen daret: Quamprimum vero deinde ad audiendas Lectiones publicas fuit admissus, mutato non sine Numine consilio, sanctio-

sanctiores disciplinas firmo jam animi proposito est amplexus, ac spatiis acceleratis, nisi in quantum publicæ Scholæ rationes illum non potuerunt non aliquantum retardare, progressus est. Contigerunt illi Doctores haud vulgares, qui præclaram indolem, & ad summa quævis jam per se ententem incitarent, sublevarentque: In his primum ipse laudabat Virum excellentis doctrinæ ac samæ *J. H. Suizerum*, a quo non levem Philosophiæ Cartesianæ gustum imbiberat, quem deinde privatim legendo Cartesii Libros, maxime vero ejus *Meditationes*, multum confirmavit. In sanctiore vero disciplina quam maxime secutus est Clariss. *D'Outrein*, cujus libellum germanico sermone vulgatum, qui inscribitur, *Forma divinarum Veritatum*, frequentius iterata lectione penitus in succum, quod ajunt, & sanguinem convertit, atque ita curiosam per Systemata & compendia vagandi licentiam non sine maximo fructu huic uni formæ adstrinxit. Augendis deinde copiis suis intentus, quum præcipite & q. exspirante Sæculo superiore opportuna se offerret Hanoviæ apud gallicæ Ecclesiæ Ministrum *Cregutium* hospitii mutandi occasio, avide eam arripuit, & postquam Examina, quæ vocant propædeutica, magna cum laude sustinisset, duobus S. M. Candidatis, *J. C. Billetero*, Collegii Alumnorum nunc Ephoro, & *Rychenero* cuidam Hanoviam petentibus comitem se adjunxit; Ibi præclari ac eloquentissimi Viri *D. Jüngstii* ductu formandis habendisque in utraque lingua concionibus sacris maxime dedit operam; atque etiam ex frequentiore cum Viro reconditæ Eruditionis laude florentissimo, nostre,

strate *Daniele Cramero*, Philosophiæ tunc temporis Professore, usu & consuetudine multum se profecisse adfirmavit. Exacto ibi duodeviginti mensium spatio, cum Clariss. Viro *J. H. Neuschelero*, Professore deinceps apud nos Theologiæ Catecheticiæ & Bibliæ dignissimo, quem dum viveret ut Collegam maximi semper fecit noster, Bremam concessit hebraicæ imprimis Literaturæ excolendæ studio; strenuum ibi nactus, quem strenue quoque secutus est, Ducem Celeberr. *Keslerum*, cui non hebræa modo juxta novam Altingii methodum tradenti diligens auditor fuit, sed etiam ad Rabbiorum Scripta aperiendi aditum hæsit assiduus, quinimmo operam quoque dedit *Josepho Margalitæ* ex Judæo, qui Libros Mischnicos ac Maimonidis quosdam Tractatus publice privatimque est interpretatus: audivit quoque *Snabelium*, *Haseum*, ceteros, & orandi pro S. Concione Specimina plurima edidit. Anno fere ibi transacto itineris Socium adsciscit sibi literatissimum Virum *J. Jac. Huldricum*, Ethices deinde & *J. N.* Professore inter nos Clarissimum; Hi in Belgium delati per aliquod tempus Amstelodami substiterunt, ubi Rabbiorum libris enarrandis rursus operam navarunt, atque etiam cum *Ant. Hulsio*, Duisb. Prof. per id tempus ibidem commorante, item cum *Herone Sibersmanno*, aliisque eruditis Viris consuetudinem contraxerunt: mox deinde sub ipsa hiberni Cursus auspicia in Franequeranam Frisiæ Academiam commigraverunt, ubi *Vitringam*, *Rœlium*, atque *Rhenferdium*, Viros, quorum adhuc floret, diuque florebit memoria, publice privatimque docentes audire contigit. Anno vero h. S. IV. no-

ster *Huldrico* tantisper relicto Lugdunum Batavorum secessit, ubi conscribendæ Dissertationi de נסוכ המים ושמחת בית השואכה, seu de *Ritu effusionis aquarum & gaudio domus haustionis in Festo Tabernaculorum*, vacavit, quam deinde etiam sub præsidio Virorum Clariss. *Markii & Triglandii* publice defendit: Quibus etiam feliciter peractis nova itineris Societate cum Cl. *Huldrico* inita omne fere Belgium peragravit, ac per Germaniam, salutatis præcipuis ejus Academiis, domum ad suos rediit. Postquam hic studiorum atque itineris rationes publice exposuisset, atque etiam per *χρησθεσια* sacro Ordini fuisset adscriptus, proximam Dissertationem Synodalem *de frequenti Communione* sub Clar. *Hottingero* magna cum laude est tuitus: Quo factum est, ut plures jam ejus operam in vario disciplinarum genere implorarent, maxime vero in Hebræis literis, quas nova methodo *Jac. Altingium* secutus exposuit: Hos cœtus privatos Juvenum doctrinæ ipsius cupidorum eo successu habuit, ut pauco tempore interjecto tam spectata virtus præmio insigni digna judicaretur, quum ipsi fuisset tradita Linguæ hebrææ in Coll. Hum. Cathedra, quæ Clariss. *B. Ottii* promotione vacuefacta fuerat, quam etiam solenni oratione de *Dono Linguarum prima Pentecostes die effuso* feliciter auspicatus est. Hic campum nactus amplissimum, eam facultatem, quam sibi comparaverat magno cum successu explicuit, atque etiam *Grammaticam Hebræam* nova methodo & mira brevitate conscriptam publicæ luci exposuit, qua deinceps non nostra tantum, sed exteræ quoque Scholæ quam felicissime sunt usæ, & adhuc utuntur. Anno h. S. VIII matrimonium iniit ac-

thori

thori Sociam sibi adjunxit emendatissimi moris & piam ad exemplum matronam, *Dorotheam Frisiam*, Clariss. Lingg. in C. H. Prof. Filiam & Parentum & sua virtute commendatissimam: Hanc fidissimam vitæ sociam ab eo tempore habuit, in ejus commoditate ac placidissimis moribus post labores molestiasque suaviter acquievit, ex hac liberos suscepit patriarum avitarumque virtutum hæredes, e quibus III in vita superstites, atque in his Filius, qui nuper miro suffragiorum consensu mihi Successor datus est, quem ut patria olim disciplina atque exemplum ad omnem laudem formavit, ita fructus illius virtutis jam percipere cæpit Schola nostra uberrimos. Anno h. S. X. optimus nostri Socer jam prope Septuagenarius eas muneris partes, quæ in Institutione latina & Poeseos versabantur, in hunc Generum suum, Virum rebus maximis parem devolvit, qui etiam his studiis promovendis ita acriter incubuit, ut nihil faceret reliquum, quod ad ea vel commendanda vel illustranda pertineret, quo consilio egregium *de Observatione Latini Sermonis Commentarium* ad juvandam veterum Auctorum & interpretationem & imitationem, itemque *Ideam dictionis & sententiæ M. T. Ciceronis*, a Celeb. *Wolfio* primum elaboratam publicæ luci in commodum studiosæ juventutis exposuit. Anno h. S. XII postquam in nervum erupissent Toggiorum cum Abbate Sancto-Gallensi discordiæ, nostro Sacrorum in castris faciendorum partes publica auctoritate sunt delatæ, quas etiam per duodeviginti hebdomadas strenue administravit. Quum vero Anno h. S. XVIII venerandus Senex *J. H. Frisius* Lingg. in C. H. Pro-

fessor ætate confectus diem suum obiisset, Ge-
 ner illius summo Ampliff. Scholæ nostræ Cura-
 torum consensu ipsi Successor datus est, atque
 ita nunc etiam græcam institutionem emendare
 aggressus est, quo consilio ex *Wellero*, *Verweyo*,
 ceterisque optimis quibusque Grammaticis, tum
 vero etiam ex propria observatione varia institu-
 tionis compendia conquirit, quæ postquam
 longo usu jam satis probata cognovisset, sub
 forma Libelli, qui inscribitur, *Principia Sermonis
 Græci* &c. in usum Scholæ anno h. S. XXXVI
 primum publici juris fecit; qui Liber ejus po-
 tissimum consilio ac Filii præcipue cura ante hos
 tres annos emendatior nonnihil & auctior est re-
 cusus. Tandem anno h. S. XXXI. pridie Idu-
 um Julii in locum Viri Celeb. *J. C. Hofmeisteri*,
 Prof. Ling. Græc. & Canonici, sine æmulo,
 est surrogatus, cui per VI ferme annos vicari-
 am operam præstiterat: Novum hoc munus au-
 spicatus est feria Caroli proxima anni XXXII
 Oratione solenni *de Linguarum post tempora Aposto-
 lica fatis & usu, in Reformatione maxime.* Hanc
 Spartam, ut & Scholæ gubernacula, aliaque
 munera ad Oeconomiam publicam spectantia,
 quam diligentissime administrare ac exornare stu-
 dit: Qua in re, ut & reliquis publicorum
 privatorumque munerum officiis adeo sibi non
 pepercit, ut jam a satis longo tempore succum-
 bere interdum laboribus nimis graviter incum-
 bentibus machina corporis videretur: Accessit
 anno h. S. XL subitus mœror ex obitu Filiae
 multis virtutibus commendatissimæ, quam dira
 mors in ipso maturæ ætatis ingressu abstulit, quo
 gravissimo casu parens opt. haud leviter con-
 ster.

sternatus ac tantum non penitus adffictus est :
 Ex eo enim tempore vigor pristinus paulatim recessit, acies oculorum valde debilitata est, & languor artus occupavit ; quod malum Catharris & febribus rheumaticis, (quibus bruma, ipsi semper infesta, annis maxime XLII & XLIII, eum tantum non oppresserat,) magnopere invaluit, ut se domi continere aut corpus parum firmum & ægrotum in publicum trahere cogeretur : Ita paulatim malo corpus exhaustum & semper insidiari Viro ac imminere consanguineus lethi sopor cœpit, qui non modo sedentem silentio & quiete stantem facile iuvaderet, sed inambulantem & loquentem & quavis ope reluctantem nonnunquam velut supplantaret : Contigit tamen ipsi rara hæc felicitas, ut ingravescens cum debilitate ætas in cura amantissimæ Conjugis, in Liberorum virtute & benivolentia, partim vero etiam in vicaria Filii opera posset acquiescere. Superiore autem Martio Mense fastigium suum videbatur affecuta ista imbecillitas, cum apoplectici quidam impetus corpus viribus prope exhaustum subito infestassent ; ex quo tempore lectulo affixus fractas ac prostratas vires nunquam recepit, sed insignem ἀτονίαν & latitantis interni mali novas insidias præsensit. Has vero mortis aut potius vitæ melioris inducias Deo non producere visum est, nisi ad d. V. Non. Julias proxime superiores, quo vesperi hora tertia nondum elapsa animam immortalitatis semper appetentem Parenti ac Servatori animarum unico placide reddidit, undecim diebus & uno ante impletum annum ætatis sextum & sexagesimum mense. Fuit igitur ac vixit *Hirzelius*

ius noster, rei scholasticæ Restaurator felicissimus, in cuius obitu magnam Schola nostra, magnam Ecclesia, magnam quoque eheu! Familia jacturam fecit. Sed respiciamus fontem unde manat quicquid amarum nobis atque miserum in hoc casu videtur: Divinam veneremur Providentiam, quæ munus suum tamdiu magna cum utilitate nostra indulgit, & modo cum ipsi maturum visum est ad se recepit; atque grati etiam agnoscamus & recte collocemus, quæ in ipso habuimus; quæ supersunt, ab eadem Providentia tranquilla mente & obsequi divinis nutibus parata expectemus.

Quandoquidem vero sapientissimo divini Numinis Consilio, & Vestro Patres ac Præsides utriusque Ordinis atque Scholæ Curatores Amplissimi, Venerandi, Clarissimi, beneficio contigit, ut post excessum Cl. Hirzelii in deligendo Successore mei potissimum ratio haberetur, atque præclarum Græcas Literas publice docendi munus cum omnibus *πλεονεκτήματιν* & emolumentis mihi decerneretur; Vestrum ego hoc Beneficium gratus agnosco, Vestrum in me ornando ac cohonestando studium ac munificentiam submissa mentis devotione veneror: Atque ut impense mihi de hoc Judicio Vestro ac Præsidio gratulor, sic Gratiam illam perpetua animi pietate religiose colam, faxoque ut Beneficium hoc Vestrum apud hominem neque indignum prorsus, neque ingratum collocatum videatur. Equidem non ignoro quid officii mihi per vestrum Beneficium impositum sit; non enim mihi tantum elaborandum est, ut si quam mihi existimationem superiorum annorum labores vigiliæque

æque pepererunt, eam conservem ac tuear; sed multo magis ut vestra de me judicia sustineam, & aliqua saltem ex parte respondeam illi expectationi, quam de me, ut veri simile est, in multorum animis pondus Autoritatis Vestræ concitavit: Quod quidem me studiosissime constantissimeque facturum Vobis omni adseveratione confirmo, daturumque operam, ut hæc, qua nunc circumfusi estis Studiosorum adolescentium multitudo, si nulla in re, at certe industria & assiduitate vix alium quenquam ad rationes suas accommodatiorem huic muneri præfici potuisse fateatur; non enim concedam, ut præpostera quorundam de hac Professione, tanquam ignaviæ portu, judicia valeant: Neque vero Vos Viri utriusque Ordinis Gravissimi Venerandi aliam a me gratiam postulare videmini, neque major a me persolvi posset, quam si strenue utar beneficio Vestro, ac ut alii uti queant, labori meo nulli parcam. Deus O. M. Vos Viros Præsides muneribus, meritis, dignitate, auctoritate præstantissimos diu conservet, faxitque ut sub vestris auspiciis Resp., Civitas, Ecclesia itidem ac Schola salva diutissime floreat & feris nepotibus dies illa nota sit, quæ vos rebus humanis exemptos cælo afferat!

Vos vero, Viri Venerandi, Clarissimi, divinarum humanarumque Scientiarum sive ad plebem christianam, sive in Schola Professores ac Doctores eximii, Vos omni studio ac pietate etiam atque etiam rogo, ut me hominem vestri studiosissimum, & quem non alia re nisi forte industria ac probato candore animi commendabilem benivolentia Vestra semper estis prosecuti,

nunc Vestro quoque beneficio ejusdem Collegii necessitudine Vobis conjunctum hilari vultu recipiatis ac sinu q. Vestro exceptum benigne fovere pergatis. Jure a me expectatis, ut quem Vobis debeo animum beneficiorum vestrorum memorem, & ad quævis officia atque observantiam paratissimum sancte conservem; quæ spes ne Vos fallat, meum erit curare: Et quum ego Vos ob præclaram indolem ac virtutes, ob ingentia in Ecclesiam ac Scholam merita, ob Eruditionem singularem, semper colui judicio meo commotus, faciam id in posterum alacrius ac diligentius Vestra humanitate incitatus, quam semper eandem erga me futuram non magis constantiæ ratio, quam naturæ Vestræ benignitas mihi persuadet. Servet inexhausta divini Numinis Clementia quemque Vestrum in extremam usque Senectutem & Vos Ecclesiæ Tigurinæ, hujus Gymnasii & universi Orbis literati bono diu felices ac florentes superesse velit!

Tandem ad Vos redit & in Vobis desinit Oratio mea Studiosi Adolescentes lectissimi optimi! Nolo assentatiunculis vestram gratiam aucupari; sed officiis potius, quæ a me proficisci possunt, vestrum amorem promereri: Vos apertis & non ambiguis votis, quum deligendus esset Græcarum Literarum Professor publicus, me deponere, vos postquam essem vobis datus lætari & Summorum Virorum de me Judicium suffragatione vestra comprobare, immo etiam prima vice ad vos accedentem faustis acclamationibus excipere non dubitastis: ex quo vestrum in me Amorem luculenter satis perspexi. Equidem Literarum amore captos vos video, & vehementer

ter lætor, Sapientiæ avidos & magnopere laudo; quodque magis me recreat, recte sapiendi cupidos. Exolevit enim barbaries, quæ jam pridem Literas, omnemque politioem humanitatem obruerat, emerfit e tenebris Sapiencia, caputque ad pristinam lucem erexit: Quis enim longe rectius nobilisque quam antea literarum studia excoli, longeque splendidius doctrinis omnibus lumen accessisse denegare valeat? Nihilominus unum adhuc desideratur literariæ felicitati & splendori; unum adhuc vestrum compluribus deest, & sane maximum, optimi Adolescentes! parandæ Sapientiæ subsidium, nempe Linguæ Græcæ cognitio. Partim enim in unoquoque doctrinæ genere literatos, & cumulate literatos, etiamsi Græci Sermonis ignaros, fieri vos posse confiditis; partim vero rei difficultate deterriti ne a limine quidem Græcas Literas salutare sustinetis. Sed credite, Adolescentes, vestra vos fallit opinio; nemo unquam ad solidam, ad plenam literarum laudem, sine Græci Sermonis adjumento pervenire poterit. Inanem itidem metum abjicite, magnos Spiritus sumite, Græcamque Linguam non tam certe arduam, ut mendax habet vulgi opinio, non tam salebrosam, non tantis difficultatibus circumseptam, toto pectore consecrandam vobis statuite. Aut admodum fallor, aut jam mentes vestræ in hanc gloriam sunt oratione nostra excitatæ. Videor mihi videre vestrum ardorem: Cui ex publica auctoritate Signum nunc erigo, & eo concurrите quotquot vultis. Nec inglorium vobis sit hunc ducem sequi, qui si non magni ingenii, Hh s certe.

certe ignaviæ non dabit exemplum ; qui se totum vobis tradit, atque labores omnes & vigilas, sive sequi eum, sive præterire vultis, vestra facit. Ne vero vos vestra de me spes aut expectatio fallat, nolite vobis de me persuadere, quasi ego mea indulgentia unquam sim commissurus, ut quisquam vestrum ad publici Oraculorum divinorum Interpretis Axioma adspiret, qui non sit ab his præsiidiis instructus sine quibus nemo recte & cum fiducia hoc munere possit defungi ; neque imperitia & ignava de Literis opinio ullum unquam in me sibi præsidium inveniet : Non is ego sum, qui si dolosi spes refulserit nummi, corvos poëtas & poëtridas picas cantare credam pegaseium melos, neque patienter ferre possum Philologos illos hemerobios, qui aliquot horarum spatio ad examinis periculum cum aliqua laude sustinendum, quasi ad mimicum ludum instrui possunt. Omnem vos laudis, promotionis, eruditionis consequendæ fiduciam in vestra diligentia ac industria collocare oportet. Agite ergo, Juvenes, flos & decus Patriæ, ite quo vos vocat vestri amor, quo vos vocant Parentum vota, quo vos Deus, cujus nonnulli aliquando futuri estis Legati ac Interpretes, quo vos Patria ac Principes vocant. In vobis sita est gloria Literarum nostrarum. Hæc Gymnasio nostro nunquam non fuit propria : atque ipsum hoc Gymnasium, hæc communis Mater nostra per me vos hortatur, ne, his Literis negligendis, committatis, ut vestra culpa, magnam antiquæ gloriæ partem amittat.

Sum-

Summe Deus, Te supplex veneror atque oro, ut omnibus meis institutis, dictis, factis, numen Tuum annuas, meæque disciplinæ successus prosperos, celerrimos, duis. Tuere in omne tempus, hanc Tui Spiritus, Sapientiæ, bonæ mentis officinam, & ei incolumitatem, otium, incrementa largire! Amplexere etiam hujus Gymnasii Magistratum, & universum Professorum Collegium, eisque tranquillitatem, concordiam, Salutem, tribue. Suscipe denique hanc succrescentem Patriæ spem, eamque indies lætius adolescere jube! Has Tu, Pater, preces ita ratas habeto, uti omnis Sapientiæ auctor es, utique Tuus Te nobis Filius morte sua placavit.

